



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

In Capvt XXIII. Qvæstiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

CAPVT XXIII.

Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. 2. Ceperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cesari, & dicentem se Christum regem esse. 3. Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es rex Iudeorum? At ille respondens ait: Tu dicis. 4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil inuenio causa in hoc homine. 5. At illi inualecebant, dicentes: Commonet populum docens per conuersam Iudaeam, incipiens a Galilea usque huc. 6. Pilatus autem audiens Galileam, interrogauit si homo Galileus esset. 7. Et ut cognouit quod de Herodes potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymus erat illis diebus. 8. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. 9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. 10. Stabant autem principes sacerdotum, & serbantes constanter accusantes eum. 11. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illis indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. 12. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad inuicem. 13. Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, 14. dixit ad illos: Obtulisti mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. 15. Sed neque Herodes: nam remisit vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. 16. Emendatum ergo illum dimittam. 17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum. 18. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. 19. Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem. 20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere, IESVM. 21. At illi fucclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. 22. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo, corripiam ergo illum, & dimittam. 23. At illi insistebant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur: & inualecebant voces eorum. 24. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. 25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant, Iesum vero tradidit voluntati eorum. 26. Et cum duceret eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. 27. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quae plangebant, & lamentabantur eum. 28. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. 29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beata steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quae non lactauerunt. 30. Tunc incipient dicere moribibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos. 31. Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet? 32. Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, ut interficerentur. 33. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluaria, ibi crucifixerunt eum, & latrones, unum a dextris, & alterum a sinistris. 34. IESVS autem dicebat, Patres, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes vero vestimenta eius, miserunt sortes. 35. Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. 36. Illudebant autem ei & milites, accedentes, & acetum offerentes ei. 37. Et dicentes: Si tu es rex Iudeorum, saluum te fac. 38. Erat autem & superscriptio scripta super eum literis Graecis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est rex Iudeorum. 39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es CHRISTVS saluum fac te ipsum, & nos. 40. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. 41. Et nos quidem iuste, nam digna facili recipimus: hic vero nihil mali gessisti. 42. Et dicebat ad IESVM: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. 43. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. 44. Erat autem fere hora sexta, & tenebrae factae sunt in omnem terram usque ad horam nonam. 45. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est medium. 46. Et clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens, expirauit. 47. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Vere hic homo iustus erat. 48. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quae fiebant, percutientes pectora sua reueriebantur. 49. Stabant autem omnes noti eius a longe: & mulieres, quae secutae eum erant a Galilea haec videntes. 50. Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus, & iustus: 51. Hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathaea ciuitate Iudaeae, qui expectabat & ipse regnum DEI. 52. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus IESU. 53. Et depositum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus erat. 54. Et dies erat parasceues, & sabbatum illucescebat. 55. Subscutae autem mulieres, quae cum eo venerant de Galilea, viderunt monumentum, & quemadmodum posuit eum corpus eius. 56. Et reuerentes parauerunt aromata, & vnguenta: & sabbatho quidem siluerunt secundum mandatum.

IN CAPVT VIGESIMVMTERTIVM

ARGVMENTVM

Historiam passionis completur a matutino tempore, quo Dominum tradiderunt Pilato, usque ad sepulturam eius. Luca peculiatia sunt; missio ad Herodem, ibique facta accusatio.

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

Q 3

culatio

cusatio & illusio: à versu 5. vsque ad 16. Deinde planctus mulierum, & Christi de exilio Iudæorum Prophetia; à versu 27. vsque 33. Tertio latronis conuersionem, pœnitentiam; & Christi de eius salute promissionem pluribus à Lucâ recenferi. Quarto turbæ spectantis pœnitentiâ, v. 48. Cœtera alij Euangelistæ habent, atque in illis exposita sunt.

VERSUS 4.

Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas Nihil inuenio causæ in hoc homine.

QVÆSTIO I.

Quid sit causæ

§. 1. **C**ausam Erasmus vertere maluit Noxam. cum noxa sit pena potius, quam culpa. Beza noxam vertit; nam differentiam quam adfert Erasmus, ait in finitū idoneorum scriptorum testimonijs refutari. Mihi uterque videtur à nostro recessisse interpreti: nam quod est in Græco noster causam vertit; vtrumque æque generale est. Nec verum est latine causam sine adiuncto non significare id, quod ad rem præsentem attinet. Nam Pilatus asserit nullam se inuenire causam, cur puniri Christus debeat. Idem significatur Syro vocabulo *Chelletha*, quod causam & occasionem significat. Pilatus enim non modo crimen in Christo nullum agnoscit, sed ne vllam quidem accusationis aut traditionis occasionem. Itaque non oportet verba Spiritus sancti pro nostro ingenio, aut nouitatis amore restringere. Quod illis auctoribus nimium frequenter vsu venit. Quod si absque contentione, verum querimus: dicet id vers. 22. *οὐδὲν ἄριστον θανάτου εὐρον ἐν αὐτῷ. Nullam causam mortis*, nugantur, qui crimen mortis vertunt, & nedom in scirpo querunt.

VERSUS 5.

At illi inualescebant, dicentes: Commouet populum docens per vniuersam Iudeam, incipiens à Galilea vsque huc.

QVÆSTIO I.

Cur Galilæum nominant?

Galilæum §. 1. **G**alilæum inuidiose nominant, & maligne, tum vt causam Christi odiosam redderent, tum ne Pilatum accusare viderentur. Neque dubito eos pluribus verbis vsos; Christum Galilæum esse, ibi omnia turbasse, ex secta Iudæ Galilæi scditiosi exortum, moliri rebellionem. Insuper Pilato sciebant exosos Galilæos, vt quorum sanguinem miscuit sacrificijs. Denique inter Herodem & Pilatum inimicitias intercedere non ignorabant. His igitur argumentis disertis accusatores iudicem ad iracundiam prouocare studebant. Ne illi socordiam in Repub. administranda, & tumultibus cauendis obijcere viderentur, etiā à Galilæa incepisse iactant; ibi vt plurimum fuisse, tandem per Iudeam venisse in urbem principem vsque, vbi sedes Pilati erat. Nec mirum si eius molitiones ferius ad aures Pilati peruenirent, cum in Herodis territorio maxime turbas concitaret, & nunc ingressus metropolim ipsam, ma-

xime periculosam seditionem in oculis prædis sit moturus.

§. 2. Nec tamen his permotus est Pilatus, quominus iudicium à se reijcere cogitaret: cum enim sciret per inuidiam accusati Dominum, maluit infame iudicium delegare Herodi Antipæ, iam Baptizæ sanguine contaminato, quam ipse facere, cum tamen insontem absolueret, & tutari oportuisset. Herodes vero cum Iudæis festum Hierosolymis agebat, ezrimoniarum cultor, legis naturalis violator.

VERSUS 8.

Herodes autem viso Iesu gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.

QVÆSTIO I.

Quid Herodes cum Iesu egerit?

§. 1. **V**iso Iesu gauisus est valde. Duæ gaudij causæ: nam à multo tempore eum videre cupiebat; & signum sperabat ab eo fieri. Non negligendum est, quod Euangelista ait videre voluisse, & tamen constat, non vidisse. Alij Herodis socordiam non immerito accusant, quia factum est, vt Prophetam tot miraculis, operibus notissimum in primarijs Terræ chæ ciuitatibus prædicantem, non adierit, non vocauerit, præsertim cum Baptizæ familiariter & crebro audierit, & multa eo audito fecerit, nec dubium est, quin Baptizæ de Messia & Rex interrogauit, & ille responderit.

Cum ergo vehementer videre cuperet, & videre potuerit, non modo in Galilæa, sed etiam præcedentibus festis in vrbe Ierosolymitana, mirum videri debet, cur non viderit: idque eo magis, quod Baptizæ suspicarentur plurimi. Itaque vix mihi videtur hoc socordia, & bruto illius stupori tribuendum, sed Herodem & matrem & filiam omni studio, & muliebris illecebris, adulterum à videndo Christo aueruisse, ne Christi monitu flexus domo adulteram eijceret. Sciebant enim impiæ mulieres, Publicanos, meretrices, omnes peccatores, inter hos Magdalenam, Matthæum, Zachæum vitijs rel. ctis à Christo conuersos. Non poterant id ignorare, cum Ioanna vxor Chuze procuratoris Herodis in Christi contubernio viueret, eumque de suis aleret facultatibus. Fœminæ itaque quibus miserum in modum Herodes erat obnoxius, occasiones præueniendo, impediendoque & blandiendo effecerunt, ne Dominum Herodes videret.

§. 2. Theophyl. Romanorum legem sequens Pilatus mittit Dominum ad Herodem. Illa enim cauet vt vnusquisque à principe sue religionis iudicetur. ideo & tanquam Galilæum Iesum mittit principi Galilææ. Non id sic intelligendum, quasi cognitio ad Pilatum non pertineret, nam de delictis in sua provincia factis prædis cognoscebant, alioqui Iudæi non apud Pilatum, sed apud Herodem accusassent.

§. 3. Alie-

§. 3. Altera gaudii causa, spes miraculi in praesens edendi nulla animi sinceritate, vel poenitentia, sed profana curiositate, ut se quasi praestigiis, & rebus admirandis oblectaret.

Herodis gaudium sic exponit Theophylactus. Herodes autem gaudebat, non ut anima sua utile quid lucraretur ex spectaculo Iesu: sed quia audierat de eo quod sapiens esset, & mira operaretur: habuit stultum desiderium laborans curiositate morbo etiam ipse, ut videret alienum hominem, & audiret quid ille diceret. An non etiam hodie multi morbo illo laborant? Desiderabat enim & ipse signum quoddam videre à Iesu, non ut crederet, sed ut oculos oblectaret: sicut in spectaculo videmus prestigiatos apparere, qui deuant serpentes & gladios, ac similia. Talem enim sermo Iesum esse putabat.

§. 4. Ambros. Hero le cupiente aliqua Christi miracula videre ipse tacuit, & nihil fecit: quia nec illius crudelitas merebatur videre diuina, & Dominus instantiam declinabat. Effertur in Herode omnes impij Typice significantur, qui si legem non crediderint & Prophetas mirabili Christi opera in Evangelio quoque videre non possunt. Et indutum veste alba. Non est Iesum quod veste alba induitur ab Herode, immaculata trahens indicia passionis, quod agnus Dei sine macula peccata mundi suscepere.

Remisit ad Pilatum. Ad Herodem mittitur, ad Pilatum remittitur. Et si uterque reum non pronuntiant, aliena tamen crudelitatis studiis obsequuntur.

In Herodis & Pilati amicitia mysterium Ambrosius agnoscit. In typo etiam Herodis atque Pilati, qui amici ex inimicis per Iesum Christum facti sunt, plebs Israel & populi gentilis figura seruatur, quod per Dominum passionem vtriusque sit futura concordia, ita tamen ut prius populus nationum capiat Dei verbum, & ad Populum Iudeorum fidei suae deuotionem transmittat, ut illi quoque gloria maiestatis suae corpus vestiant Christi, quem ante desperant.

Theudas seu Theodas recens seditionem mouerat, tanto magis putabat Pilato insistendum, ut tranquillitati publicae prospiceret.

§. 5. Pilati in Christo ad Herodem mittendo aperta iniquitas fuit: Ipse enim reum innocentem populi & principum furore ad necem petitem tutari, & defendere, non Iudaeo & Tyranno tradere debuit.

§. 6. Spreuit cum exercitu, & illustit, ἐμπύλας. Graece habetur ἐξενήκας, & c. καὶ ἐμπύλας, καὶ βαλὼν αὐτὸν ἐν λαμπρῶν. Vilipendens & illudens alba veste remisit. Primo contemnit, quod nihil in eo fama dignum conspiceret, quod contemni se silentio contumaci, & factio arbitrareretur; itaque conuictis, si libilis, forte etiam alapis exceptus est. Deniq; alba veste indutus est. Graecus vocat λαμπρῶν splendidam. Hinc nonnulli purpuream fuisse arbitrantur, & supra docui c. 16. 19. Etiam albam purpuream esse. Syrus sane hoc loco vocat زهريثا zehuritha, quod coccineam significat, ita enim vsurpatur Matth. 27. 28. quamuis posset forte quispiam non immerito suspicari Syriace initio scriptam esse زهريثا zehuritha per, non h. hoc est enim splendidum, seu λαμπρῶν. Vide de γλῶτ Proverb. 4. 11. 9. & 50.

§. 7. Cum exercitu suo spreuit illum σὺν τοῖς σὺν δυνάμει, cum copiis suis: Nobiles & satellites intelligit Beza, quod exercituum nomen videtur nimium militare. At non est ita visum spiritui sancto. σὺν δυνάμει magis est militare, quam exercitus. Herodem sine armatis Hierosolymis fuisse nemo crediderit, nec eum Pilatus metuit, ut obnoxium, & Caesaris mancipium.

§. 8. Accusant eum constanter Pharisei, & Scribae. ὁ νόμος, inuente quasi omnibus, valid. ite ne quis. est enim νόμος vahemens & actiuos contentio, quae non facile remittitur.

Pertinaciam firmabat metus, ne scilicet coram Herode se tueretur, ne miracula faceret, quorum occasio in tam numerosa aula deesse non poterat: atque ab Herode absolueretur, & in Galilaeam remitteretur: norant enim Herodem non nisi dominationis causa simulare religionem. Hinc sine causa rerum suarum interitum metuebant, si Christus Tetrarchae, & Romanorum subnixus praesidio; verbo & operibus potens, docere pergeret. Maximam igitur sollicitudinem iniecit, ne Herodem sibi conciliaret, multos enim ex eius aula conuerterat, & iam Chuza eius procurator fidelis erat. Quin etiam agtorum 13. 1. Manachen Herodis Tetrarchae collactaneus dicitur. Quod si vel plures ex familiaribus, vel ipse etiam princeps fidem suscepisset, de Iudaismo conclamatum fore iudicabant, cum iam ante, ut ipsi fatentur, totus mundus curreret post eum. Erabant tamen: non enim religionem Christianam, & professionem humilitatis splendore regum, sed ignominia crucis commendari Deus voluit, nec in regum potentia, sed illis, quae infirma sunt mundi, Ecclesiam fundare decreuit, ut virtute Dei, non hominum armis custodiretur: alioquin non manus omnipotentis, sed brachium carnis esset eius praesidium.

§. 9. Interrogat eum multis sermonibus: sermōnes eos captiosos arrogantiae, curiositatisque plenos fuisse, impii regis docet ambitio, & quod eos Dominus nullo responso inquam dignatus sit. ita Titus aliique docent. Tanquam enim histrionem quempiam in theatro spectare gestiebat.

§. 10. Nam remisit nos ad illum. Graeca lectio variat. ἀνεπέμψα δὲ ὑμᾶς πρὸς αὐτὸν, & ἀνεπέμψα δὲ αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς, & remisit illum ad nos. Uterque sensus eodem spectat. Latini codices priorem habent, quemadmodum & Syrus.

Marcion apud Epiphan. refut. 69. quaedam addit: Apposuit post hoc. Hunc deprehendimus peruercentem gentem: & destruendum legem ac prophetas. Cui respondit Epiphanius, & refutat.

§. 11. Ad Herodem missus est, ut prophetiae complerentur, ut Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 4. 2. Nam & Herodi velut munus à Pilato missus, Osee vocibus fidei reddidit; de Christo enim prophetauerat: & vincunt eum ducent Xenium Regi. Delectatus est denique Herodes viso Iesu, nec vocem ullam ab eo audiuit. Tanquam agnus enim coram tendente, sic non aperuit os suum; quia Dominus dederat illi linguam disciplinam, ut sciret quomodo eum oporteret proferre sermonem. Illam scilicet linguam, quam in Psalmo ad glutinam gutturi suo tunc probabat, non loquendo.

§. 12. Purpurea & candida vestis, affectu stultè regni erat exprobratio. Hoc enim indicare Herodes, hominem esse stolidum, non maleficum, aut turbulentum. Quemadmodum enim milites purpuram illi iniecerunt, coronam spineam, sceptrumque dederunt, ita quoque Herodes, qui exemplo prauius; videntur enim milites ex accusationis argumento & facto Herodis anam crudelissimi ludibrii artipuisse. Tert. de patientia cap. 3. abiecta vestimenta arbitrat, sedis vestitur, sedioribus coronatur.

Vestis ergo splendida fuit, seu λαμπρῶν, sed vetusta & lacera, qua rideretur, non ornaretur. Albam vero vestem fuisse, quam λαμπρῶν vocat, non dubito. Nam Regibus visitata, atque adeo felicibus erat, & magistratibus erat; est enim Magistratus

Albus in officijs.

Quin & Deorum erat color albus: vitio datum est Camillo, quod albis equis, quasi Deorum amulus triumpharet. Deorum filios albos appellari refert Plutarchus ex Platone, & Caesar iam caeli incolae Virgilio,

Candidus inferum miratur lumen Olympi.

Sic Homeri *geoi* vocantur *evagete*, apparentes seu nitentes, quod ille epitheton tribuere etiam soli & lunae solet.

De candidatis Romanorum nimium iam constat. Quin & festis diebus, & conuiuiis candidiores erant. Seneca de vita beata, cap. 25. diutibus tribuit. Quid ergo est? Malo, quid mihi animi sit ostendere, praetextatus, ac candidatus, quam nudus scapulis, ac fletentibus. Sunt autem alba quaedam candentia, & suo modo fulgentia, tandor est enim lucis portio. Vide Scaligerum exer. 142. contra Cardanum. Herodes igitur Christum seu Regem, seu Dei filium per irrisiorem candore vestis norabat. Quod si quis contendat purpuream fuisse, Latinum interpretem sic intelligat necesse est. ut alia veterum.

Alba pur-
pura.

Lumenque iuuentur purpureum.

Cygnos purpureos olores,

Brachia purpurea candidiora nunc.

Purpurea sub nunc terra latet.

Verf. 32. Notanda locutio. Ducebantur & alii duo malefici, non inde concludemus Christum maleficum esse.

VERSVS 27.

*Sequebatur autem illum multa turba
populi & mulierum, quae plange-
bant & lamentabantur eum.*

QUESTIO I.

Qui lamentati?

Mulieres
plangunt.

§. 1. **M**ulta turba populi sequebatur, & mulierum quae plangebant, & lamentabantur. Populus lamentatus non videtur, nisi pauci admodum; nam ad poenam populus cum poposcit, & virorum planctus sine periculo non erat, quasi contra Magistratum, & Rempublicam vota conciperent, mulierum absque censurâ erant lachrymae. Mulieres solas plangisse consolatoris ostendit humanitas, cum dicit; *filiae Ierusalem, nolite flere.* Viros tamen aliquos fleuisse constat; quia stabant *noti eius à longe.*

Plangere est *grief*, quod verberatione & complo- sione manuum peragitur. Lamentari vocis est, & oculorum.

VERSVS 28.

Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiae Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

QUESTIO I.

An Christus flere vetuerit?

§. 1. **D**ubium non est, quin gratæ fuerint Christo lachrymae, quae sincere amantium, & de iniusta cæde dolentium erant. Signa erant fidei, & amoris, quibus & Christi innocentiam, & Principum suorum crudelitatem detestabantur. Non igitur fletum mulierum prohibebat tanquam malum, sed maiorem causam lugendi illis aperit, nempe ut seiplos, & filios desceant, qui iam ipsis extra periculum esse videbantur. Plus mali ex morte innocentis ad auctores, quam ad occisum redundat.

§. 2. Non igitur recte sentiunt, qui mortem Christi luctu decorari negant. Theophylactus increpitat putat: *Mulieres quidem hominum genus est facile lachrymans*

& plorans, quasi graue quiddam accidisset & Domino, plorant, compassionem praeserentes magnam, & iniustitiam lamentantes. At ille non approbat, sed magis increpat illas. Vnde quid enim patiebatur. Non dei et autem lamentari eum, Theophylactus quippe & pro salute omnium patitur: sed congruum est ut lachrymae magis laudibus essetatur & celebraretur: per crucem enim & mors destructa est, & infernus captiuus factus. Lamentantur hi qui sponte patiuntur, nullam consolationem afferent. Proinde Dominus illas quae ipsum lugebant, increpat. Admonet autem ut ad futura mala respiciant, & propter illa plorent, quando mulieres coctura sunt filios suos propter immisericordiam. Et venter qui portauit: ille enim iterum miserabiliter fructum suum recipiet. Si enim in me talia fecerunt Romani in me ligno humido, feraci & semper virenti, & semper vitali propter Deitatem, & per doctrinas fructuum meorum ferente omnes: in vobis populo inquam, arido ligno sterili ab omni viuifica instituta, & nullum fructum afferente, quid non facient? Si enim quandam vitalem operationem boni habereis, fortassis digni essetis quibus quodammodo parceretur: nunc autem quasi lignum aridum in combustionem & corruptionem vritis.

§. 3. Non tamen idcirco lachrymandum est, quia: Causa si Dominus imbecillitate, & dura necessitate victus tu cogit, tam dira patitur, aut passus sit: Verum aliae causae sunt. Primum sunt. Prima quod nostra cum peccata ad tam horrenda supplicia adduxerint. Deinde ipsa gratitudo exigit, ut cum dolente doleamus. Tertio, humanae naturae societas, & mutua caritas omnibus qui *grief* deis, hoc est; beluinae feritatis non sunt, lachrymas excutit, cum exquisita aliorum supplicia spectare coguntur, aut meditantur, quamuis illi fortissimo & laetissimo illa animo perferant: Quis enim adeo durus est, ut martyrum supplicio non illachrymetur, si illa spectet, quamuis illi sponte omnia patiantur? Nam vno verbo, negato Christo, & culto idolo, omnia effugere potuerunt.

VERSVS 29.

Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent. Beatae steriles, & ventres qui non genuerunt & vbera quae non lactauerunt.

QUESTIO I.

Quae mala & quando futura praedicat?

§. 1. **M**agnitudinem calamitatis ab effectu declinat, fore tantam scilicet, ut steriles beatae sint iudicandae, quod in misericordiam, tamen, eadem, liberos non genuerint, quod in opprobrium secundae non fuerint, sed propria clade contentae filiorum mortibus non crucientur, alioqui sterilitas opprobriosa fuit in gente Iudaeorum & mulierum decus liberos multitudine aestimabatur; nunc omnino fecunditas calamitosa futura est.

§. 2. Mala autem denuntiat, in Ierosolymorum vastatione euentura, & quae consecuta sunt, post impiorum damnationem, eterna. Magnopere timenda esse ex eo demonstrat, quod dicunt montibus, cadite super nos, & collibus operite nos. Malunt enim cito morte defungi, quam diuturnis cruciatibus confici, atque ita animas reddere in tormentis. Mulieres quidem illae exultatiores erant; non enim in Christi mortem consenserunt, calamitatem tamen participes fuerunt, ut ipsae, & filii eorum, ipsae ideo dignae fletu, quod tales posteros essent habiturae, qui eodem in Christum & Christianos odio sibi malum acerbescerent. De hisce vide, quae apud Matthaeum dicta sunt.

VERSVS

VERSVS 31.

*Quia in viridi ligno hæc faciunt,
in arido quid fiet?*

QVÆSTIO I.

Quod lignum viride & aridum?

§. 1. Cæcus appellat ὕψος, humidum & succi plenum est; quod frondescit, germinat, & fructuosum est: quod proinde magna cura, fossione, stercoreatione, putatione colitur. Aridum verò quod absconditur, atque in ignem proicitur. Si igitur in Christum innocentem tanta sanctorum vultus, quid facturus est Deus, ut Christum vlciscatur?

Lignum aridum parçmia Hebræa de re sterili atque inutili dicitur: quia vero homines improbi, & infuctuosissimi sunt, & noxii, idcirco ligno arido comparantur, ut iustus ligno quod plantatum est secus decursus aquarum, Psal. 1. S. Hilarius in Psal. 1. per humidi ligni exemplum nihil ariditatis mortis in se obnoxiū significans. de illo ante ex Theophylacto.

VERSVS 40.

Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es.

QVÆSTIO I.

Quomodo latro penitentiam egerit?

§. 1. Idem habuit, credidit enim cum Christum crucifixum videret, esse tamen eum Redemptorem mundi, regem alterius vitæ, Messiam.

§. 2. Fidem suam professus est. Nempe Deum timendum; iure se pati crucem, Christum innocentem esse, regem esse, se ab eo posse saluari. Nihil inquit maliegit *videtur*. Itaque ex cruce, advocatum Christi egit, cum eum omnes deseruerunt.

§. 3. Speravit etiam à Christo salutem; ideo enim orat, ut meminerit cum venerit in regnum suum: spes enim orationis fundamentum est.

§. 4. Hæc præstitit, cum maxime tempus alienum videretur, cum nutarent Apostoli, Petrus negasset. Magna itaque consolatione fideles astantes, & lugentes affecit, cum Latronem confitentem, Phariseos damnantem, & Christum illi paradisi gaudia promittentem audirent.

§. 5. Caritatem etiam demonstravit, dum Christi innocentis dolore mouetur, dum socium sincera dilectione reprehendit, & ad timorem Dei adhortatur, quasi admiratus, eum cum iam præ foribus æternæ pœnæ essent, præsentem virgerent non timeri ab eo Deum. Mortis enim propinquæ formidine etiam obduratorum conscientia solent percelli; sed hic quoque contra omnia pernicax blasphemabat. Aretius Latronem in gratiam Phariseorum Christo insultasse. At non est verisimile, hominem impium in cruce pendente hostibus suis adulatum, à quibus nihil sperabat.

§. 6. Insignis etiam patientia in tormentis elucet. Non blasphematur, non queritur, sed digna factis recipere se testatur, neque liberationem à tormentis postulat, sed ut meminerit, cum venisset in regnum suum. Quod si eorum fides laudata est, qui à cæcitate, à lepra aliisque infirmitatibus sanitatem à Christo libero & miracula faciente rogabant, quanta hic Fides, Spes, Caritas, Patientia à Christo morituro, non mitigationem summi supplicii, aut celerem à cruciatus, & ludibris subtractionem petere, sed memoriam sui, cum esset in regno. Aeterna igitur non temporalia bona peribat, & quidem in tantis positus malis.

Patientia latronis.

Itaque mirandus est Hæreticorum stupor, crebro interrogantium, quid boni Latro fecerit; quomodo se disposuerit ad iustitiam, quomodo pervenerit ad salutem? Cum fides eius timor, spes, caritas proximi, preces, defensio Christi, professio fidei, patientia tanta nobis documento sint, qua via ad paradysum veniatur. Magnum mihi atque admirabile iterum videtur heroicæ virtutis opus. Hominem in atrocissimis constitutum tormentis, habentem præsens à Christo auxilium, credentem in redemptorem, non postulare, vel supplicii mitigationem, vel mortis accelerationem. Imo postquam promissus est illi eadem die, ingressus in paradysum, nihil tamen de pœna temporali remissum est, nec hoc ille petit; sed alios insuper crucifragii cruciatus, quos prævidebat, patienter expectavit. Totum igitur hoc supplicium voluntarium fuit, in cumulum pœnitentiæ, & caritatis ardorem magis magisque accendendum, atque adeo ad iustitiæ augmentum. Nec dubitandum est, quod reliquum temporis fuit, in attentissima divinarum rerum meditatione, & caritate consumptum fuisse.

Bona opera latronis.

Devotio latronis.

De promissione Christi videatur Augustinus Ep. 57. cap. 2. & 3. ad Dardanum, de Genes. ad literam l. b. 12. cap. 34. contra Felicem Arianum cap. 15. contra Crescomium Gramm. lib. 2. cap. 9. Tract. III. in Ioan. Et Paradiso, Bellarmi. lib. de gratia primi hominis, & ego in defensione eius contra Parei calumnias.

VERSVS 48.

Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.

QVÆSTIO I.

An turba illa vere penitentiam egerit?

§. 1. Percussio pectoris consilii, & peccati latentis erat detestatio: Dux esse causæ poterant; Timor, deinde amor. Timorem incutiebat Solis deliquium, Terræ motus, vox morientis valida: itaque præsentem numinis vindictam metuebant, innocui sanguinis vlticem. Timorem amor in animis plurimorum sequebatur: cum enim plurimi zelo legis & à Phariseis decepti Christo præfenti insultaverint, non dubium eos idem iudicasse quod Centurio; esse filium Dei, esse iustum. In illis itaque verissima fuit, & cum vera caritate Penitentia.
